



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXXII. Urbanus III. Anno Christi 1185. Federici 3. Isaaci Angeli 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

Imò Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

CLXXII,
URBANUS III.
ANNO CHRISTI 1185.

FEDERICI 3. ISAACI ANGELI I.

Bar. an.
1185 § 11
An. 1186.
§. 1. 16.
Pag. §. 1. 3.

Eodem die, quo Lucius III. est
sepultus, VII. Kal. Decembr.
Lambertum Cribellum, Mediolanensem
Archiepiscopum, eundemque Cardi-
nales Presbyterum Cardinales sus-
fecerunt, ac mox consecratum *Ur-
banum III.* appellârunt. Hic nondum
sedatis Romæ turbis substitit Veronæ.
Ad colloquium veniens cum Federi-
co tria graviter conquestus est; unum,
quòd detineret Mathildis patrimoniu-
m pertinens ad Ecclesiam Romanam:
alterum, quòd mortuorum Episcopo-
rum bona redigeret in publicum: ter-
tium, quòd aliquot Cœnobiorum re-
ditus sibi usurparet, devotis Christo
Virginibus ejectis per speciem resti-
tuendi moris, ac disciplinæ. Com-
motus quidem ad hæc Imperator, co-
hibuit tamen sese, ut Urbanum pelli-
ceret ad coronam Imperii imponen-
da

dam Henrico filio suo. Ast Urbanus secutus exemplum decessoris sui Alexandri III. id facere constanter recusavit, nisi prius ipse se Imperio abdicaret. E contrario facilem se præbuit Henrico II. Angliæ Regi annuens, ut quem mallet ex filiis coronaret in Regem Hiberniæ; legavitque in id Octavianum Cardinalem. Sollicitus de Christianorum Principum concordia quos cupiebat arma ferre adversus Christiani nominis hostes, Venetias iter instituit comparandæ causâ classis, quam Christianis in Asiam subsidio mitteret. Cùm Ferrariam pervenisset, nuntio de capta à Saladino Urbe Hierosolymorum perculsus, & ab dolore in morbum implicitus, ibidem anno 1187. XIV. Kal. Novemb. decessit, Pontificatûs sui *anno primo mense decimo, die quinto & vigesimo.* (1)

Bar. an.
1187. §. 2.
Pag. §. 12.
13.

ANNOTATIONES.

(3) Hugo Antissiodorensis apud Pagium ad an. 1187. §. 12. *Ferrarienses Cives mirram defuncto honorificentiam exhibuere, & septem diebus ejus exequias cum immensis luminaribus celebrârunt.*